

24

C. 1. num. 2.

23

PRINCIPIA
IVRISPRVDENTIAE ECCLESIASTICAE
GERMANICAE FVNDAMENTALIA
SPECIMEN QVARTVM

1767 1.

QVO PRAEMISSO

PRAELECTIONES
ACADEMICAS

PER FVTVRVM SEMESTRE
ROSTOCHII

INSTITVENDAS

INDICIT

IOANNES CHRISTIANVS
QVISTORP


IVRIS VTRIVSQUE DOCTOR ET CANCELLARIAE
DV CALIS PROCVRATOR
ORDINARIVS.

P. 347



ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS.







SECTIO VII.

EXHIBENS

HISTORIAM IVRIS CANONICI ET COMPILATIONIS CONCORDIAE DISCORDANTIVM CANONVM, SIVE DECRETI GRATIANI.

§. I.

Nulla societas sine ordine concipitur. Ad ordinem autem constituendum norma quadam opus est, ad quam voluntates membrorum societatis componuntur. Quod si citra normam ageret societas, non posset non maxime inde oriri confusio et finis eiusmodi societatis nullo modo impetrari posset, quum media ad finem eundem obtinendum nec sufficientia, nec determinata, nec rite in usum deducta forent. Quum enim ecclesia, prouti supra iam dictum, est societas (*vid. Sect. I. §. 2.*) quoque de coetu sacro ea omnia valent, quae valent de quolibet alio in republica collegio. Ut itaque norma haec legibus contineatur, dubio caret. Enimvero legum vis nulla, effectus nullus, nisi superioris auctoritate nitantur; eaque nobis ratio fuit, cur iam quondam statuerimus

A 2

quod



quod societas quaelibet in republica ab imperante confirmata esse debeat, siquidem gaudere velit effectibus ciuilibus, vt scilicet sua statuta mutuo consensu inita, vim habeant obligandi. Ecclesia itaque, quum sit societas, quae sub imperante in republica est, debet esse confirmata et vel in totum, vel in tantum recepta, siquidem potestas ecclesiastica locum habere et leges, quibus continetur, vim obligantem exferere debent.

§. 2.

Primitiuae ecclesiae christianae collegia priuata erant; ordinem vel communi consensu seu pacto determinabant singulis in coetibus fideles, vel commendarum ab Apostolis, aliisque fidelibus, sponte suscipiebant, vel vsitarum in Synagogis, e quibus maior pars fidelium exierat, in quibusdam externis caeremoniis retinebant, *vid. Vtrvinga de Synag. Vet. p. 19.* Crescente deinde magis magisque ecclesia, nata inde sunt iura vel communia omnium ecclesiarum, vel particularia singulorum coetuum disciplinam confoederarum constituentium. Quae ad meliorem ordinem et bene viuendirationem faciebant, a viris piis, ecclesiarum curam habentibus, certis regulis, vel monitis paternis comprehensa et commendata, vel quoad ea, scilicet, quae iam in vsu erant, regulis eiusmodi inclusa sunt et communi *canonum* nomine venerunt. Non quidem leges proprie dictae erant, Ius tamen ecclesiarum constituebant, sicuti pacta Ius faciunt, licet leges non sint. *Ius Canonicum* itaque eo tempore erat: *Ius, ex regulis ecclesiasticis in vsum deductis, compositum vid. celeb. Boehmerus in Inst. Iur. Can. Lib. I. Tit. II. §. 3.*

- *) Praesidebat vnicuique coetui vnus antistes, siue episcopus, communibus totius populi suffragiis constitutus. Is, adscitis in consilium presbyteris, quorum numerus haud definitus erat, prouidebat, ne quid detrimenti res sacra caperet suamque singulis presbyteris assignabat stationem. Vtrique subiecti erant ministri siue Diaconi, in classes quosdam distributi, quod omnia ab omnibus peragi haud possent officia, quae rei Christianae ratio exigebat, *vid. celeb. Mosheim in Instit. histor. Eccles. p. 87.*

§. 3.



S. 3.

Sui iuris per longum tempus omnes ecclesiae erant nulloque confociatione, aut foedere iunctae. Quilibet coetus parua quaedam ciuitas erat, legibus suis sese gubernans, a populo vel rogatis, vel saltem probatis. Ast, paulatim eueniebat, vt omnes Christianorum societates, in vna prouincia habitantes, in vnam societatem seu ciuitatem coirent maiorem atque, more rerumpublicarum foederatarum, conuentus, ad vniouem seruandam, celebrarent illius prouinciae christianae. Ad hos conuentus ab omnibus ecclesiis eiusdem prouinciae deputati mittebantur, conclusa sua cum aliis celebrioribus ecclesiis communicabant; et hae illa recipiebant, non quidem ex imperii quadam necessitate, sed potius ex voluntaria submissione. Nascabatur hoc institutum inter graecos, procedente vero tempore per vniuersam ecclesiam christianam promanabat. Conuentus, in quibus multarum ecclesiarum legati de communibus negotiis consulebant, dicebantur graeco vocabulo: *Synodi*, latino: *concilia*. In effectu primitiua concilia ecclesiastica, si tria priora Secula respiciamus, fuerunt tribunalia ecclesiastica, in quibus delegati ab ecclesiis particularibus cognoscebant de controuersis emergentibus, tum circa fidem, tum circa disciplinam ecclesiasticam, hoc effectu, vt eorum decreta vim legum ecclesiasticarum conventionalium haberent. Primitiuae ecclesiae enim non tantum a republica neglectae, sed etiam fere oppressae, iure collegiorum inter se agebant et quum ad vnitatem fidei essent conuocatae, in vnum etiam conueniebant, maxime vero illae, quas vna coniunxerat prouincia Ampliores autem quum subinde redderentur ecclesiae termini per plurimas prouincias et nationes, quin per orbem vniuersum praedicato nomine Christi, nexus ecclesiarum neuiquam singulis limitabatur prouinciis, quum gentes et nationes fidei vnitatem coniunctae pro rerum grauitate concurrerent plures initisque mutuis consiliis, quid sentiendum sit, quid agendum, constituerent. Nata hac ratione sunt concilia, quae vocantur *oecumenica* siue *vniuersalia*, seu potius *principaliora*, quibus vel omnium ecclesiarum legatis interessere licuit, vel omnibus imperio



perio romano subiectis ecclesiis nationalibus suos mittere legatos demandatum fuit, vel, quod maxime in censum venire solet, omnes ecclesiae ex post facto nomen dederunt in iisque statuta suo calculo approbarunt. Cuius quidem generis concilia auctoritate vniuersali gaudentia non nisi quatuor recensent historiae ecclesiasticae conditores, *Nicaenum, sc Constantinopolitanum primum, Ephesinum primum, Calcedonense*. Maxima autem polluerunt auctoritate haec concilia, ita, vt ab ipso Iustiniانو Imperatore in *Novell. 31. cap. 1.* scripturae sacrae equiparentur eorum canones et legum ad instar obseruentur. Sed inter Protestantes quoad causas fidei et religionis tanta haud est auctoritas Iustiniani, vt propter illam vnice et absolute hisce conciliis subscribere debeamus, quum ipse Iustinianus plura reprobanda et a nostris ecclesiis aliena tradiderit. Videlicet, quae in conciliis traduntur, vel dogmata fidei, vel disciplinam ecclesiasticam concernunt. Quoad illa Protestantes quatuor conciliis oecumenicis propter consensum cum verbo diuino subscribunt. Caeterum, quae disciplinam ecclesiasticam spectant non aequè in ecclesiis Protestantium obseruantur; quin ipsi pontificii in plurimis a pristinis recesserunt moribus. Inde autem haud negamus, plura adhuc vestigia antiquae illius disciplinae in ecclesiis nostris superesse, quae optime ex conciliis ipsis illustrantur, quibus ex causis studium conciliorum nostrates maximopere commendant, *vid. Salmon Traite de l'Etude de conciles et de leur collection, Brunquell de vtilitate, historia et antiquitatibus sacris in Iurisprudenciae ecclesiasticae studio capienda, praemissa Innocent. Cieronii Obseruat. Iur. Canon. add. Boehmeri Origines praecipuarum materiarum Iuris ecclesiastici Id. in Iure Eccles. Protest. Lib. 1. Tit. 11. §. 3.* Concilia nationalia, quae in Africa, postea Gallia, Hispania et Germania auctoritate regum conuocabantur et prouincialia, quae ab ephoris ecclesiae vnus prouinciae celebrabantur, antiquiora sunt, quam ipsa concilia oecumenica, quum omni careat dubio, ante ipsum Concilium Nicaenum tria concilia prouincialia praecessisse. Decreta in Conciliis lata concernunt vel formulam fidei, vel disciplinam ecclesiasticam, siue quae ad ritus spectant. Illa dicuntur *Sym-*
bola,



bola, haec *canones*. Olim sub canonum appellatione quoque comprehendebantur clericorum, librorum sacrorum et hominum sanctorum indices, vel etiam significabatur per vocem *canonum* stipendium cuique clericorum debitum, *vid. Bingham in Orig. Eccles. Vol. 2. p. 133. Vol. VI. p. 94.* *Decreta* denotant rei controuersae decisionem, vel in conciliis generalibus, vel particularibus, vel etiam a pontifice, aut episcopo quodam cum suo capitulo, de rebus suae dispositioni subiectis, facta. *Priora sententiae*, posteriora *capitularia* aut *statuta* vocantur.

*) Haec Concilia ecclesiae formam successu temporis plane mutabant. Nam per illa plurima iuribus ecclesiae detrahebantur antiquis; episcoporum autem auctoritati et dignitati haud parum accedebat. Qui, quum primum haud diffiterentur, se ecclesiarum suarum legatos esse, paulatim sibi maiora arrogabant et potestatem sibi a Christo datam esse perhibebant, populo Christiano leges fidei vitaeque dictandi. Deinde, quae primis obtinebat temporibus summa omnium episcoporum auctoritas et aequalitas, per haec concilia sensim tollebatur. Necessse enim erat, ut vni ex episcopis prouinciae, qui foedere iuncti erant, potestatis et iuris aliquid supra caeteros in conuentibus tribueretur. Inde *Iura Metropolitanorum* nata sunt. Postremo, quum mos habendorum conciliorum per vniuersam ecclesiam Christianam inuallisset et vniuersa ecclesia ingentis Reipublicae ex multis minoribus compositae formam adepta esset, certa capita in singulis terrarum orbis partibus praeficienda erant, quae totam molem quodammodo continerent. Hinc *patriarchatus* et tandem *episcopatus oecumenicus*, quem pontifex sibi tribuit romanus ortum habuerunt suum. Veneratio, quam ecclesia erga episcopos gerebat, eis maiorem auctoritatem peperit, ita, ut iam seculo III. plura ad ordinem clericalem facientia determinarent iure quasi suo.

**) Inter omnes constat, concilia vniuersalia, siue oecumenica, item nationalia Christianos imperatores indixisse. Praeterea de praesidio et directione imperatores disposuerunt. *vid. Boehmer in Iur. Eccles. Praelex. T. I. §. 3.* Confirmationem et executionem decretorum iuris imperatorii fuisse, ipsi patres in Conciliis facti sunt, adeo, ut decreta conciliorum, principis confirmatione destituta, omni effectu ciuili plane carerent, nec ad leges ecclesiasticas referri possent. *vid. c. 8. q. 11. D. 16. add. c. 5. C. 11. q. 1. et c. 15. C. 12. q. 1.* Vnde imperatores suspendebant et rescindebant interdum Iudicata conciliorum et ordinem in iis praescribebant. Exemplum imperatorum postea sequuti sunt Reges Angliae, Hispaniae, Britanniae etc., ita ut sine eorum auctoritate concilia prouincialia, vel nationalia haberi non potuerint, nec decreta absque confirmatione regia effectum haberent. *vid. Per.*

de



de Marca cit. Tr. Lib. 6. c. 13. et c. 17. Haec omnia jura, imperatori et regibus circa concilia, vi supremæ inspectionis competentia, satis probant, a) indictionem b) directionem c) confirmationem d) executionem non esse juris clericalis et papalis, sed regii; quamvis examen et decisiones harum causarum clericis permiserint imperatores. Suppressit tandem pontifex Synodos tam nationales, quam prouinciales, quibus adhuc episcoporum et archiepiscoporum auctoritas continebatur, imo jura imperatoris et regia ita contriuit, vt praedae loco ista cedere ipsi debuerint.

***)) Concilia prouincialia non eodem modo vbiuis indicta et decreta sunt. Quandoque enim seniori inter episcopos honor hic deferrebat; quandoque eminentiori, qui in Metropoli prouinciae sedem habebat. Sed a Constantini imperatoris temporibus haec concilia vel plane cessare, vel pendere debuerunt ab imperio principis, cui quacuis iudicia subfuerunt. Quo factum est, vt principes Christiani jure suo et indictionem, et directionem sibi vindicarint tam Conciliorum generalium, quam prouincialium. Sic Imperator Constantinus indixit Synodum Romanam, Arelatensem et Tyriensem. Concilia prouincialia, quorum quaedam in Germaniac, Angliae et Hiberniae regnis habita sunt, auctoritate regum conuocabantur. Concilia interim prouincialia, quae olim bis quotannis per c. 3. 4. D. 18. Can. Apostol. 38. et quidem sub poena celebranda erant c. 7. seq. D. 18. pontifices romani variis fraudibus suppresserunt, suppressaque reducere non poterunt Patres in Concilio tridentino congregati, iubentes, ea quolibet triennio cogi in Sess. 24. cap. 2. de Reformat.

****)) Concilia *Dioecesana*, vel *episcopalia* quilibet episcopus in sua dioecesi cogit ex omni clero et toties ordinat ea, quoties temporis et rerum ratio id postulat. Singulis in annis sunt habenda per c. 16. 17. D. 18. Statuta haec dioecesana tantum obligant subditos Dioeceseos. Statuta episcopalia potiora collegit Lünig in *Spicileg. ecclesiast.*

§. 4.

Quae in conciliis, tam oecumenicis, quam particularibus acta sunt, a Iustiniano Imperatore aliisque eius successoribus vim et auctoritatem impetrarunt, licet in canonibus quam soepissime scripturae sacrae verba ad Cleri principia fuerint adcommo- data. Quam ob causam multae canonum collectiones adornatae sunt, potissimum ut inde ecclesia orthodoxa ab heterodoxa distingui queat. Canonum collectiones autem sunt vel *genuinae*, vel *spuriae*. Antiquissima omnium est regularum ecclesiasticarum collectio, quae nomen *canonum apostolicorum* adepta est,



est, junctae iis sunt *Constitutiones apostolicae*. Collectae videntur ineunte seculo quarto, non autem, prouti aliis placet, seculo secundo. Repraesentarunt illi canones quasi epitomen veterum conciliorum per tria secula habitorum. Canones apostolorum a Concilio Nicaeno et ab ecclesia sequentium temporum numero LXXXV. recepti erant; constitutiones autem apostolicae rejiciebantur. Sed admodum false canones et constitutiones apostolicae ipsis apostolis tribuuntur. Disconueniunt enim quam maxime effatis apostolorum in locis Scripturae Sacrae consignatis; nec eorum auctoritas patrum testimonio probari potest. Manent igitur supposititii, qui omni auctoritate plane destituuntur *vid. Berger in Codice Canonum primitiuae ecclesiae. Struv. in historia Iuris cap. 7. §. 2. Dallacus de Pseudopigraphis apostolicis.*

§. 5.

Inter canonum collectiones illa eminet, quae in Oriente adornata fuit sub titulo: *Codex canonum ecclesiae vniuersae*, quatuor scilicet conciliorum oecumenicorum et nonnullorum particularium canones exhibens, statim post concilium Tridentium seculo V. priuato studio confecta. Non eam ob causam codex hic canonum ecclesiae vniuersae fuit appellatus, quia comprehenderet omnes conciliorum canones a singulis ecclesiis receptos et editos, sed, quod primis temporibus, quibus fuit collectus hic codex, illo solo, nec alio, vteretur ecclesia vniuersalis in controuersis illis, quae in conciliis occurrerant. Auctoritas codici sic dicto canonum vniuersae ecclesiae accessit ex sanctione Imperatoris Iustiniani in *Nouell. 131. cap. 1.*, quae canonibus in istis quatuor conciliis oecumenicis constitutis et confirmatis vim legum tribuit. Ita enim Imperator: *praedictarum quatuor Synodorum dogmata sicut sanctas scripturas accipimus et regulas sicut leges obseruamus.* Ex hac dispositione multi colligunt, codicem ecclesiae vniuersae esse considerandum vt partem Iurisprudentiae Iustinianae *vid. Mastrich in historia Iur. Can. n. 51. 52.* Prodierunt posthac variae collectiones studiis nationum diuersarum. Quod autem speciatim ecclesiam attiner romanam, quidam *Zosimus* episcopus Romanus adornauit collectionem Canonum Nicaenorum, cui

B

modo



modo fraudulento quaedam capitula concilii Sardicenis inferi iussit. Inde error ortus est de LXXX. Canonibus Nicaenis et controuersia de eorum numero.

§. 6.

Ad tempora vsque Iustiniani imperatoris vtebatur ecclesia antiqua codicis canonum ecclesiae vniuersae versione. Ineunte autem Seculo VI. *Dionysius* quidam *Exiguus* priuato ausu nouam adornauit versionem, spuriis auctam apostolorum canonibus et conciliorum Africanorum decretis. *Dionysii* codicem instar legis firmiter ac publice stabilitum voluit *Papa Hadrianus I.* Quia omnia in hac collectione ad romani episcopi voluntatem erant disposita; ab isto quoque tempore distinctio inualuit inter *codicem orientalis et romanae ecclesiae* vid. *Mastrich c. l. n. 70* Quo factum est, vt nomen codicis ecclesiae vniuersae in defuetudinem abire coeperit vid. *Thomas. c. l. cap. 19. §. 10.* Idem *Dionysius* quoque primus fuit, qui decreta simul cum epistolis Pontificum romanorum, consultationes dictis, a tempore pontificis *Siricii* vsque ad aeuum *Anastasio* conscriptis collegit. Haec collectio codici canonum tanquam pars altera adiecta est et vsum obtinuit in ecclesiis episcopo romano subiectis. Per Galliam quoque recepta est eadem collectio sub *Carolo M.*, cui hunc codicem dono dederat *P. Hadrianus I.* vid. *Constantius in Praefat. ad Epist. Rom. Pontif. P. 2. p. 110.* Non equidem ausus est *Dionysius* cum corpore canonum vnire hanc suam collectionem, quum nondum canones Synodorum ejusdem essent auctoritatis. Interim collectione sua occasionem dedit, vt in posterum id ab aliis fieret vid. *Mastrich c. l. n. 75. 76. 154.* Postea enim multae prodierunt collectiones sedis romanae commo admodum adcommo datae v. g. *Fulgentii Ferrandi breuiario Canonum*, *Martini episcopi Barracerensis Collectio canonum*, *Iob. Antiocheni sive Scholastici concordia canonum*, *Cresconii Breuiarium canonum et concordia canonum.* Hic *Cresconius* quoque collectioni suae adiecit decreta pontificum romanorum ante et post *Dionysii* tempora stabilita vid. *Mastrich c. l. n. 187.* Collectionem *Cresconii* sequitur *codex ecclesiae orientalis.* Vsque enim ad seculum VII, ecclesia orientalis codice vniuersae ecclesiae vtebatur



batur, sequentibus autem temporibus haec quoque occidentalem imitabatur et multis simul nouis codicem illum canonibus auxit, quem commentariis illustrarunt *Alexius Aristinus, Ioh. Zonarus et Theodorus Balsamon* graecae nationis scriptores.

§. 7.

Alia eademque spuria canonum et decretorum collectio sub initium seculi X. innotuit, adoptato auctoris nomine *Isidori Mercatoris* siue *Impostoris* potius, aut *peccatoris*, prouti ab aliis nuncupatur. Ejus pars prior ex collectione hispanica *Isidori Hispalensis* descripta est; posterior pontificum romanorum decreta exhibet, quoad maximam partem imprudenter confecta, vel spuriiis additamentis interpolata, ut fere dici possit: *Suppositorum interpolatorumque congeries*. Impostoris opus studio *Riculfi Praesulis Moguntinensis* in publicum productum, deinde a papa *Nicolao I.* defensum et commendatum est in c. *I. D. 19.* ut scilicet eo felicius episcopos omnino sibi subiceret. In hac collectione decretales siue epistolae illae Romanorum episcoporum inde a temporibus *Clementis* vsque ad *Siricium* suppositae atque subordinatae, maxima ex parte male admodum confutae continentur *vid. Blondellus de Pseudo-Isidoro et Turvio vapulante*, qui hanc collectionem adjectis quibusdam notis edidit. Praxis sequentium temporum ostendit, eandem in ecclesiis quoque Germaniae admissam fuisse *vid. Espen. de Collectione Isidori*. In eodem seculo scilicet *DCCCLXXXIII.* *Patriarcha Photus* collegit *Nomocanonem*, qui continet elementa Iuris Canonici graeci. Haec collectio apud graecos tanta auctoritate pollet, ut omnibus suis eandem anteferre soleant collectionibus. Hunc *Nomocanonem* postea commentariis illustravit *Theod. Balsamo*. Obseruamus post *Leonem Papam IV.* qui a. S. R. *DCCCLV.* defunctus est, magis magisque pristinae ecclesiae disciplinam intermortuam esse et scientiarum splendorem decreuisse ortaque esse ista tempora et secula obscura et ferrea, de quibus grauissimi scriptores iuste conqueruntur. Quieverunt itaque per sesquiseculum et quod excurrit omnes plane collectiones. Seculo autem *XI.* *Gregorius ille VII.* ab aliis etiam *Hildebrandus* dictus maxima cum audacia publicabat



XXVI. canones, quos nominabat *dictatus a dictatura*. Hisce constitutionibus primordia sua potissimum debent plurima illa jura et reseruatata papalia. Per hosce dictatus juris Canonici veteris forma plane mutata est et quum antea in collectionibus prioribus nihil de capitibus ad processum pertinentibus ageretur, nunc maxima juris canonici pars absorberetur ritulis de officio et potestate judicis, de treuga et pace, de postulando, de procuratoribus, de Syndicis, de arbitris, de foro competente, libello, litis contestatione, probationibus, sententiis et similibus ad solum principem secularem ejusque potestatem vnice pertinentibus. Inde quoque factum est, vt papa omnes ad se traheret appellationes, adeoque in omnibus rebus maximo sane cum detrimento lurium imperantium majestaticorum sibi arrogaret omnimodam dispositionem. Is enim Gregorius sibi soli vt papae staturbar competere, ius conferendi omnia regna et episcopatus, toti terrarum orbi leges praescribendi, facultatem episcopos deiciendi et reges regno priuandi, quare etiam, pontificem a nemine iudicari, e contrario sententias, ab ipso latas a nemine retractari posse, audaciter asseuerabat. Ne vero eiusmodi modus procedendi odium principum crearet, titulum inuenerunt, quo nomine mitiori malitiam tegere possent, pontifices, nempe episcopalis audentiae, canonum et decretorum, donec tandem post Hildebrandi tempora larua detracta, hasce denominationes transmutarent in alias, jurisdictionem scilicet, legem et sententiam.

§. 8.

Legibus istis vsus est *Burchardus* siue *Brocardus*, prouti dicitur in C. 2. X. de *Sponsall* episcopus Wormariensis, natione Hassus, qui ius per Canones dispersum ad quasdam generales redegit theses, in quibus multi Brocardicorum originem quaerunt. Compilauit ille Decretorum libros XX. ex bibliis, ex libris sancti Gregorii, Hieronymi, Augustini, Ambrosii, Benedicti, Basilii M., Isidori, ex poenitentiali Romano, ex poenitentiali Theodori, ex poenitentiali Bedae, ex conciliorum canonibus atque inprimis ex pontificum decretalibus. Burchardus, qui, vt labentem ecclesiae disciplinam restauraret et crassissimae iuris eccle-



ecclesiastici ignorantiae, quae tunc passim regnabat, remedium quaereret, magnum canonum volumen scripsit, ita, ut tanquam Iuris Canonici restaurator a scriptoribus sui aevi praedicaretur. Prodiit collectio Burchardi sub titulo: *Burchardi Wormatiensis episcopi decretorum libri XX, ex conciliis et orthodoxorum patrum decretis, tum etiam diuersarum Nationum Synodis ceu loci communes congesti Coloniae 1548. in folio.* Vnde Burchardus collectionem hausit ipse in praefatione prodit. Apparet enim ex illa, eum haud consuluisse ipsos fontes, sed potius collectiones nominatas praecedentes adhibuisse. Vestigiis Burchardi inhaerens Iuo episcopus Carnutensis, decretum exarauit in XVII. partes distributum: quemadmodum et Cresconius *Deus dedit* et Gregorius *presbyter*, aliique, quorum nomina vix tulerit aetas, collectionem concinnarunt. Iuo ille dictus in usum ecclesiae gallicanae edidit in duobus scriptis *decretum* et *Pannoniam* siue *panormiam*, a veteribus dictam. Anselmus episcopus *Luccensis* edidit collectionem, qua imprimis vsi fuerunt correctores Iuris Canonici Gregoriani, quo hodie utimur. Reginus Abbas *Prumiensis* sub initio seculi XI. edidit *de disciplina ecclesiastica veterum praesertim Germanorum libros duo*, quae editi sunt a Steph. Baluzio 1671. in 8. De aliis collectoribus canonum et Decretorum, vid. *Fleischer im Gesllichen Recht* p. 42. 43. 47.

§. 9.

Collectiones priuatas haecenus recensitas Ius ecclesiasticum antiquum constituerunt, quarum autem auctoritatem fere suppressit *Decretum Gratiani*, siue *Concordia discordantium canonum*, ex recensitis fere vnice collectionibus, non ex fontibus hausta. Potissimum enim Gratianus utebatur canonum collectionibus Isidori, Reginonis, Burchardi atque Iuonis. Quum autem horum collectiones multis falsis impletae essent, non potuit non, quin etiam Gratiani decretum erroribus scateat. Interim infinitis licet erroribus obnoxium sit, in quibus corrigendis occupati fuerunt correctores romani, auctoritatem tamen vsu accepit per pontifices promotam. Non quidem publica auctoritate collectio canonum a Gratiano facta adornata fuit, sed tantummodo in vsum praelectionum academicarum



rum confecta et in hos vsus approbata est a pontifice Eugenio III. ad preces Academiae Bononiensis a 1152. Ast ex vsu academico sensim in multis obtinuit vsum forenses et sicquidem fauore academiarum atque frequenti applicatione et pontificum emendationibus vim legis accepit, ita vt iam tempore Friderici I. Imperatoris tantam habuerit auctoritatem, vt Doctores eius appellati sint *Decretistae*, prouti Doctores Iuris Ciuilis siue Romani *legistae* dicti sunt et ex hoc tempore descendit denominatio Doctorem vtriusque Iuris. Duae potissimum causae sunt, vt recte statuit celeb. *Boehmer. in l. E. P. I. Lib. 1. T. II. §. 19*, quae singularem huic Gratiani collectioni, auctoritatem conciliarunt a) *methodus tractandi*. Collectores enim ante Gratianum ipsorum conciliorum canones aut pontificum decreta simpliciter retulerunt, Gratianus autem modum discordantia conciliandi excogitauit. Accessit, quod Gratianus suae collectioni multa Iuris Romani capita inferuerit, quod eo tempore fuit gratissimum, quo publice in Academia Bononiensi Ius ciuile doceri et exponi coepit. b) Academiae Bononiensis fama, quae tempore Gratiani adeo celebris fuit, vt iuuenes ad illam vndiquaque confluere iuris discendi gratia. Hac occasione quoque factum est, vt praerer Ius ciuile etiam decretum Gratiani in Italia confectum publicis illustraretur praelectionibus et ita aequalem fere cum Iure Romano auctoritatem acciperet. Accessit ruditas seculi, ob quam testante *Boehmero l. c.* sine delectu quaeuis inculca et horrida pretio habebantur, modo speciem quandam eruditionis saperent. Ineptrae primorum Glossatorum notae, quas decreto adiecerunt, hoc testantur, quamuis et illae pro temporum ratione tunc magna susciperentur auuiditate, licet momenti aliquius nihil continerent. Decretum iterata vice glossis illustratum, tandem Iussu P. P. Pii IV. et V. et Gregorii XIII. a 1580 correctum et emendatum est interueniente XXXV. Doctorem viroorum cohorte, *vid. Augustinus de emendatione decreti Gratiani. Fontanini in Praefat. ad Turcremata Gratiani Decretorum libros V. secundum Gregorianos decretalium libros distinctos §. 18.* Conrinet autem Decretum Gratiani, seu prima Corporis Iuris Canonici hodierni pars a) Canones Conciliorum b) Patrum dicta c) Ponti-

Ponti-



Pontificum decreta d) passim interspersa scripturae sacrae effata e) Gratiani verba f) leges civiles g) Canones *palea* signatos.

- *) *Augustinus c. l. Dial. 9.* putat, quum nomen Gratiani in nullo manuscripto antiquo reperitur, adhuc dubium superesse, vtrum Gratianus Decreti compilerator fuerit nec, ne. Sed alii contrarium ostenderunt, quia in bibliotheca vaticana Romae manuscriptum datur, cuius titulus est: *Decretum Gratiani, Monachi S. felicitis Bononiensis, ordinis s. Benedicti. Compilatum in dicto monasterio a. 1151. tempore Eugenii Papae III. vid. Baluzius in Notis ad Augustinum de emendatione Decreti Gratiani.*
- **) Tacite pontifex vsu laboris Gratiani promouit, postquam is multum sibi commendationis in aula romana acquisuerat, per repetitionem spuriorum Pseudo-Isidoro decretorum *vid. Espen in Comm. ad Decretum Gratiani p. 498.* Tacite quoque in labores Gratiani eam obcausam Eugenius III. contemnebat, vt magnam illam auctoritatem, quam in aulis et academijs habebat ius civile, labefactaret. Sicuti enim noui Iuris Romani Doctores omnem potestatem imperatoribus tribuebant, pontifices romani inuidiosis oculis hanc persequebantur auctoritatem et non solum clericos a iuris civilis studio arebant, sed etiam ne Lutetiae Parisiorum aliisque Galliae locis doceretur, prohibebant *in c. 3. X, ne Cleric. vel Monach.* add *Keuffel in den Merkwürdigkeiten der Bononischen Schule cap. 5.* Attamen nunquam publica fides et auctoritas Gratiani Decreto allata fuit: quippe, quod extulit quidem mirum in modum sedis romanae almpotentiam, attamen haud raro quoque eandem labefactauit. Decretum pontifex tacite et artibus etiam clandestinis promouebat, expressam tamen adprobationem eidem denegabat, optime iudicans, in fauorabilibus se huius ope vt, in odiosis autem exceptionem deficientis approbationis opponere posse. Multa enim continet decretum hierarchiae aduersa, dum ex collectionibus priorum temporum compilatum fuit, in quibus maiestas papalis non adeo erat fundata, prouti succedente tempore facta est. Mentis quoque haud caret collectio Gratiani, quia nec ex genuinis fontibus hausta, nec a barbaris scientiarum eo vsque aliena est, vt imperfectione sua eandem non proderet, Errat v. g. Gratianus soepe in nominibus Prouinciarum, vrbium et conciliorum. Quod in Concilijs conclusum soepe alicui pontifici et quodmodo episcopus in sua Dioecesi ordinauit, pontifici vel concilio tribuit. Parrum dicta vel citatis locis plane haud reperiuntur, vel contraria ratione adhibentur atque prolata sunt. Quod Gratianus ex scriptoribus graecis sumit, ex versionibus citatur, quae maxime non raro aliena sunt ab effatis scriptorum graecorum. Quamuis autem Gratiani opus multis naeuis laboret, nihilo tamen lecius vsu et obseruantia vim authenticam obtinuit, cui deinceps et ipsa imperatorum confirmatio accessit *vid. Boehmer. in Iur. Eccles. Protest. L. I. T. II. §. 17. seq.*

***) Quid



****) Quid significant canones, voce; *Palea* in decreto Gratiani signati, variae eruditorum extant opiniones. Quidam putant, hanc vocem denotare suppositivum quid; alii vocem *palea* a graeco *παλαια* derivant et scribendum *palaea* censent, forte vetusta, antiquata, obsoleta hoc verbo intelligentes; alii iudicant, vocem *palea* esse notam canonis a Gratiano haud profecti. In se autem et generaliter *palea* nihil aliud denotat, quam animadversiones Gratiani, aliorumque ad canones vid. *Boehmer. in Iur. Eccl. Proref. Lib. I. T. 2. §. 17.* Gaudet tamen canones voce *palea* signati auctoritate et vox illa paucis canonibus praemissa, auctoritati eorum legali nihil derogat vid. *Brückner de auctoritate Iuris Canonici §. 12. Engau in Elementis Iur. Eccl. §. 90. n. 4.* Licet adsint contrarium statuentes et Papam Eugenium III. hac voce textus, quos non agnosceret, notasse iudicantes vid. *Pertsch in Proem. de Origine et fatis legum ecclesiasticarum.*

*****) Gratiani Decretum in tres partes distributum est. Prima composita est ex CI. Distinctionibus, quae habent suos canones. Secunda continet XXXVI. Causas, quae singulae habent suas quaestiones et haec iterum suos canones. Causa autem XXXIII. in secunda parte Decreti, quae est tractatus de Poenitentia, distinguitur in distinctiones et haec iterum in canones. Tertia pars Decreti composita est ex tribus partibus, scilicet tractatu de consecratione, tractatu de canonicis Apostolicis et Tractatu de Poenitentia. Singulus Tractatus habet suos canones et distinctiones, vti pars prima.


Absolutis illis, quae ad corporis Iuris canonici ejusque primae partis, scilicet Decreti Gratiani sufficientem cognitionem pertinent, jam mihi quoque de reliquis partibus esset agendum, quarum tamen expositionem alii tempori referuo. Paucis adhuc cum Honoratissimis hujus Almae Iuris cultoribus, praelectiones per instans semestre instituendas, communicabo. In *explicandis Digestis* et quidem alterius partis, absoluta in praeterito semestri parte prima, secundum *Io. Aug. Helfeldii Iuris prudentiam forensis secundum ordinem Pandectarum, pergam.* Hora IX — X *Institutiones Iustinianae* ad ductum *Heineccii in Elementis Iuris civilis* interpretabor. Hora X — XI. *Ius Germanicum* secundum principia *Ill. Pütteri* enucleabo et hora II — III. aut *Ius feudale*, aut *Ius Ecclesiasticum*, prouti Auditoribus placeat, exponam. Vtramque scientiam secundum *celeberrimi Georgii Ludovici Boehmeri Antecessoris Göttingensis, meritiissimi*, principia tractabo. Faxit Deus, vt conamina nostra cedant in sui Nominis gloriam et Iuris cultorum commodum. Scrib. in feriis Paschalis A. O. R. MDCCLXVII.



Rostock, Diss., 1759-76

X. 228 42 89





24

C. 1. num. 2.

23

PRINCIPIA
IVRISPRVDENTIAE ECCLESIASTICAE
GERMANICAE FVNDAMENTALIA
SPECIMEN QVARTVM

1767/1

P. 347

QVO PRAEMISSO
PRAELECTIONES
ACADEMICAS
PER FVTVRVM SEMESTRE
ROSTOCHII
INSTITVENDAS
INDICIT

IOANNES CHRISTIANVS
QVISTORP

IVRIS VTRIVSQUE DOCTOR ET CANCELLARIAE
DVICALIS PROCVRATOR
ORDINARIVS.



ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS.

